

logia iudiciaria reperire liceat. Id quod præter quotidianas experientias, à tribus etiam seculi nostri Mathematicarum Coryphæis scientiarum didici, *Adriano inquam Romano*, summo & Medico, & Mathematico, scriptis clarissimo, *Herbipoli* olim magistro meo: cuius filius *Iacobus Romanus* nunc *Louanij* egregie paritizat. *Galileo Galilæi Lyncei*, amicitia & Academiæ nostræ arcto mihi vinculo iuncto: & *Christophoro Clauio* demum, ciue meo ac populari, *Bambergenfi* nimis, qui omnes vel verbis mihi, vel scriptis publicis, quam parum iudicij, ex astrorum situ desumptis, fidendum sit, palam sæpe fecerunt. Possum & ego verè contestari, in hac ipsa, qua viuimus VRBE, & orbis LVCE, sub ipsa solaris, eiusque insignis Eclipseos hora, plus quam septuaginta personis, febribus acutissimis laborantibus, sanguinem non scarificatu, sed ex maioribus detractum venis fuisse, diligentiq; adhibita obseruatione, vix tres vel quatuor postmodum, non *Solis* defectu, sed febrium periculosisimarum affectu, obijisse. Nec vereretur ego hoc ipsum in me periculum tentari, adeo nihil, certà iam experientia doctum, vel Eclipseos, vel aliæ maleficarum (vt maleolè blaterant Astrologi) Stellarum positiones, me terrerent. Non ignarus interea sum, quid temporum mutationes principales in morbis possint, quæ *Canis* solummodo *Arzuri*, *Pleidumq;* ortu vel occasu, vt meris signis, non effect ricibus causis ab *Hippocrate* indicantur ac designantur; quid item Aquiloniorum & Austrinorum flatuum, pluuiarum deniq; copia, vel defectus valeant, de quibus solis, & non de Planetarum, aliorumque tot astrorum concursibus, opposicionibus, varijsq; alijs sitibus, & caelestium domorum Chimeris bono huic *Seni* nostro sermo est, vt non habeant quod Genethliaci, alijque maleferiati Medici, ab hoc auxilium & consilium implorent, & ex astris velati remedia petant; quæ vt *Plinius* ait *pau-*

perrimi cuiusque plerumque horulus suppeditat. Luna phates variæ, quid in debilibus nonnullis tam sanis, quam aduersa valetudine oppressis, virium habeant hominibus, & ego noui, & habent hæc forsitan causas suas physicas, quas Astrologi deducere haud norunt, solà cæcà, cum *Chaldeis*, experientia & complurium seculorum vt asserunt, obseruatione contenti, quæ si sufficiunt, cur non, vt optime in suo de *Augmentis scientiarum* libro Doctis, idemq; & Nobilibus *Franciscus de Verulamio* scribit, cur, inquam; *quis non eadem opera, & Auguria reuocat, & Aruspicinam, & Extra, & omni genas fabulas deglutiat*. Nam & hæc omnia, vt diuina experientia, & per manus tradite *Disciplina, distamina suis se asserbantur*. Atque hæc obiter, licet vt spero, opportuno loco.

De *Topho luuencarum*; quem coronidis loco huc inferere æquum est, hæc apud *Plinium* lego. *Et in luuencarum secundo ventre, pile rotunditate nigricans tophus nullo pondere. Singulare. (vt putant) remedium egrè parientibus, si tellurem non attigerit*. Huiusmodi tophos duos pragrandes à *Ferdinando Imperato* recentium naturalium *Como ac promo*, cum plurima alia naturali, maritimarum præcipue rerum, supellectile dono accepi, cum anno supra millesimum sexcentesimo octauo eiusdem *Museum* iam dudum celeberrimum, & deliciofissimam, simul *Neapolitanam Urbem* inuiserem, eò à *Paulo V. missus, vt Horto Vaticano*, de plantis rarioribus prospicerem. Verum *Tophus* hic, non in *Secundo*, vt *Plinius* voluit, sed in *Primo* tam *Vaccini* generis, quam conijgerorum aliorum domesti-

Eriam in Eclipseos solaris horis plurimis sanguinem detraxisse non nocuit.

Quæ Astrologiam in morbis Hippocrate professus fuerit.

Non sufficere Astrologis, aliquot seculorum obseruationes iactare.

Tophus luuencarum ex proprijs ac Plinij obseruationibus describitur.

eorum animalium stomacho *italis la Trippa* dicto, reperitur, quod ego in varia eorundem sectione animaduerti. Cum enim lactantes tam *Hædi*, quam *Vituli*, sese matresq; suas sæpius lambant, plurimum pilorum, cum lacte, & ab ipso deglutiunt. Quod si rariores illi ac pauculi pili fuerint, cum lacte ad quartum ventriculum delabuntur, & in colato *Coagula* quoque reperiuntur. Vbi verò plures conglobantur, in primum rectà descendunt ventriculum, quos ego *Auellana* nucis magnitudine, tam in lac solum sugentibus, quam simul iam seno velci incipientibus, in hoc eodem sacculo siue primo ventriculo, & non alio inueni. His magis magisq; alij pili aggeruntur, donec massam eam rotundam, perpetuò in stomacho illo mansuram efforment, quæ nunquam cum cibo postmodum ruminando ascendit, nec vllum grauedinis interea, aut molestiæ ipsi sensum procreat.

Est autè substantia hæc discissu difficilis, & rariori pilorum ex pilis textura ac compositioni simillima, quò verò maior eius quantitas, diutiusq; in animantis ventre hospitata est, eò difficilius acutissimo etià cultro discinditur ac separatur. Cui verò vsui seruiat, equidem cū ignaris ignoro. Quòd enim *Plinius* ait, *egre parientibus prodesse*, id neque in quaquã femina expertus ego sum, nec experies me quisquam docuit alius, nec qua ratione cõtingat, *Plinius* explicauit. Nisi forsitan eiusmodi sit medicamentum, quale *Cap. de Lupo* dixi, in partu enitèdo profuisse, illas *Ioan. Bapt. Porta, Lyncei* quisquillas & pauimeti sordes. Est tamè ratio aliqua, quæ persuadere possit, partui conducere promouendo, si in subtilissimum polinè contundatur, aut cremetur hic tophus, & puluis ille, cum vino aut alio liquore exhibeatur. Tunc enim acuri, quem in se continet, *Salis* ratione, cum sero & sanguine ad matricem delati, irritare non leuiter facultatem expultricem poterit, & partum follicitare, quod idem *Boracem* acutissimum salem præstare nouimus. In pilis autem plurimum sulphuris ac salis esse norunt, qui Chymico cultro, igne inquam, eius *Anatomen* vnquam administrant.

Quod autem *nec ternam prius contingere debeat*, hoc ridiculum demum est, ac fabulosum, vt plurima alia huius farinae apud *Plinium* ac *Dioscoridem* leguntur; quæ verorum ignaris principiorum imponunt, vt vel occultas rerum causas, vbi nullæ sunt, somniant ac implorent, aut superstitionum lernam, cum maximo fidei nostræ Christianæ scandalo ac dedecore introducant, foueât, ac tueantur. Poteram de natura monstrorum, vt promiseram, & de alijs internis vitulorum partibus à me obseruatis, scitu iucunda plura dicere. Sed ista ego vel alteri loco, vel alijs relinquo: & hæc nonnemini fortè nimia videbuntur, quare abrumpo, & ad reliqua animalia accingor. Sed hic temperare mihi non possum, quin animo meo, vt benigno profim lectori, nunc morem geram: & quod ipsi forsitan incauto imponere posset, mendum detegam. Mantissa igitur oco hæc paucula superaddam.

Dum superius, quatuor in ruminantibus bestijs ventriculos ex *Aristotele* descripsi, hæc ex *Gazæ* versione lib. 2. Hist. anim. cap. 17. addidi verba. *Rectum autem intestinum nulli est, cui non parte utraque dentes*. Hunc eundem *Scaliger* Pater *Arist.* locum paulo aliter vertit. *Sunt*, inquit, *quibusdam appendices intestinorum: neque enim recta intestina vlli, quod utraque maxilla dentatum non est*.

Quomodo generatur.

Qualis ipsi sit substantia. An vsui alii cui seruiat.

Si partum accelerat, qua id ratione fieri possit.

Superfluum videtur quod terram non debeat contingere vt partui subueniat.

Causa huius appendiculae est locus *Aristotelis* de intestino recto.

Gazæ & *Scaligeri* verso in quibus discordent.

Et

circa Laurentem agrum, cum eandem ibi triginta enixam porcellos reperisset, augurari potuit, tot errorum ac laborum suorum requiem, & futurum tam sibi in Italia regnum, quam Aescania suo elapsis triginta annis Albam longam aedificandam. Quos illi annos, ut Poeta habet (erat enim caeca Gentilias vaticiniorum scientiae, & futilibus eiusmodi praefagijs plus quam deditissima) triginta, isti porcelli praefagiebant. Non inepra forsitan coniectura, & mea quidem, hoc ego addidero: eundem porcellorum numerum, triginta Latinarum Vrbes significasse, in quas singulas Albani Colonias (quas inter Roma quoque fuit) miserunt: Alba tamen longa a Roma postmodum destructa legitur, ut non praeter rem dictum fuerit, a filia matrem interemptam esse. Sic autem per Somnium Tiberinus Deus Aeneam 8. Aeneidos alloquitur, idemque, quod Aeneid. 3. olim Helenus, vaticinium de Albana sue recantat.

Expectate solo Laurenti, arvisque Latinis,
Hic tibi certa domus, certi, (ne absistite) penates,
Iamque tibi, nevana putes, haec fingere somnum.
Littoreis ingens inuenta sub Ilicibus Sus,
Triginta capitum fetus enixa iacēbit,
Alba Solo recubans, albi circum vbera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum.
Ex quo ter denis Urbem redeuntibus annis,
Aescanius clari condet cognominis Albam.

De hac re Propertius quoque lib. 4. Eleg. 1.
Et stetit Alba potens, alba suis omine nata,
Hac, ubi Fidenas, longa erat ire via.
Quemadmodum autē Vacca illa opima Diana, sic nobiliss hęc Sus Iunoni sacrificabatur, En. 3. ex Heleni item Vatis imperio. Testatur Poeta in 8. Aeneid.

Ecce autem subitum, atque oculis mirabile monstrum,
Candida per siluam cum fetu, concolor albo,
Procubuit, viridique in litore, conspicitur Sus:
Quam pius Aeneas, tibi enim, tibi maxima Iuno

Maclat, sacra ferens, cum grege sistit ad aram.
Duplici autem ratione Iunoni hanc hostiam importatam a Troiano Vate crediderim, tamq. fetio Lib. 3. eius Poematis inculcatam. Imprimis ut eius, Troianis semper infensa beneuolentia conciliaretur: deinde ut Terram illam, ad quam post tot discrimina rerum appulerant, propitiam sibi ac frugibus ferendis vberem & idoneam redderent. Per Iunonem autem Terram significari notius est, quam ut hic demonstrum. Vnde Virgilius Iouem per Athera designans, in coniugis Iunonis gremiu Tellurem inquam ipsam, descendere ita canit.

Tum pater omnipotens secundis in vberibus Aether
Coniugis in gremium latus descendit, & omnes

Ferra autem porca facere solebant antiqui, quod Goropius quoque lib. 9. in suis Keneis & Hyperboreis obseruauit, quo fecunditatis illam admonerent, & ipsa non minus benignam se cultoribus, quam Sus nutricantibus se praebere.

Sus Alba originem Albe longae dicitur dedisse.

Vaticiniū Aeneae in somno datum de Sus alba.

Cur Sus illa Iunoni sit immolata.

Primo ut ipsam Aeneas placaret.

Secundo ut terram eam sibi proficuum per quam Iuno denotatur, redderet.

non potest esse illi in se ipso.

Cum hoc animal ex immundo, vilissimoque victu, copiosissimam, ac suauissimam (humana quoque sua temperie aemulam, si Galeo credimus) carnem reddat: semen similiter tam multiplici restituat fenore, ut plures, quam vix vllum aliud animal, foetus producat. Aeneae certe Scrofa triginta vno partu. eiecerat. Quocirca Terram veteres precabantur, ut pro stercore & seminibus, quae ipsi committuntur, vberimam semper messem refunderet, & auaris agrorum votis hilariter responderet.

Quid si euerim ego, primam ab Aenea in suo ad Laurentem agrum atque in Latium aduentu, urbem aedificatam Troiam fuisse appellatam? non tam ad destructi Ilij Troiaque memoriam conseruandam, & spem locijs noui fundandi imperij conciliandam, quam ad huius ipsius Porcae albae, quae laborum finem impulerat, celebrandum honorem, & agri praesentis fertilitatem indicandam. Ridiculus forsitan videri potero, non tamen importuna non omnino & friuola locutus. Aeneam imprimis statim post suum in Laurentinum agrum accessum, Troiam aedificasse nouam, praeter quamplurimos alios authores sunt Liuius & Virgilius, hic quidem lib. 10. vbi Venus ad Iouem

Muris iterum imminet hostis.
Nascentis Troiae.
Et mox Iuno Veneri responderet,
Indignum est, Italos Troiam circumdare flammis.
Nascentem?

Liuius vero lib. 5. Troianos, ab Sicilia, inquit, classe Laurentem agrum tenuisse. Troia huic loco nomen est. Ibi egressi Troiani, qui ab immenso prope errore nihil, praeter arma & naues, superesset, cum pradam ex agris agerent, Latinus rex Aborigine, qui tum ea tenebant loca, ad arcendam vim aduenarum armati ex urbe atque agris concurrunt. Vult autē Philippus (Luuerius Germanus, cui neq. nostra tempora, neque priora secula tulerunt Cosmographis studio magis addictum) in sua Italia antiqua, hanc nouam Troiam non fuisse aliud, quam quod nos Ostiense vocamus opidum antiquissimum nempe, & minimè ab Anco Marcio, ut pleriq. tradunt historici, exstructum: si modo non sit fabula penitus, quod ipse & Goropius arbitrat, de Aenea in Italiam aduentu, & rebus ibi gestis, ad similitudinem rerum Euandri conficta. Vult igitur Ostia originem esse antiquissimam, multis seculis ante Romanorum Regem Ancum Marcium, ab Euandro potius primo Romanorum Rege conditam, postquam pulsus Siculis Romae Urbem occupauerat, cui tunc Portum hunc struere voluerit.

Sed quam verisimilitudinē habeat, Aeneam suam nouam Troiam, ad Scrofae Ilii memoria ita vocare voluisse, nunc videamus. Quae non alia certè erit, quam ipsa vtriusq. nominis comunitas & congruentia. Troia enim tam Cimbrica illa antiqua Phrygiaeq. Troianorum, quam adhuc Belgica, Gallica, & (quod mireris etiam) vulgatissima Italica lingua hodieq. aliud nihil sonat, quam Scrofam. Et qui se falso Messala Coruini titulo ornauit, quod sua Lectoribus veluti antiquiora imprudētibus obruderet. Suam apud Latinos antiquitus Troiam, quoq. fuisse dictam, ab occultioris antiquitatis perito aliquo homine probe didicit, quauis antiquissimam veramq. vocis originem ignorauerit. De qua, qui pluram velit, Goropium suadeo adeat, inuenietq. Trou dictione Cymbrica & Germanica lingua, fidum significari;

Cur prima in latro ab Aenea condita vrbs Troia dicta fuerit?

Philippus Clauerus exactissimi Cosmographus.

Hic probat Ostiense opidum fuisse illam Troiam.

Troia haec ob Scrofae nominis agnationem conditam fuisse.

Troia enim in pluribus linguis idem sonat quod Scrofa.

cumq. nullum animal beneficium fidelius restituat, quam *Sus*, ideò *Troiam* vocatam fuisse. Qui autem veriorum *Troie* huius tot linguis adhuc vilitatissimam Etymologiam afferre nouerit, id per me licebit, audacter faciat, cui fideliter gratiam reponemus.

Fieri itaque non sine maturi consilij ratione potuit, vt *Troiani* triginta annis prius quam *Albam*, ab *alba* sue denominatam, conderent; *Troiam*, primam suam mansionem ab ipsamet hac *Scrofa* siue *Troide* denominatam, exedificarent, simulq. *Scrofa* eadem *Terræ* immolata, hanc precarentur, vt sibi & propitia foret ac fecunda. Quantum autem honoris prædici illi gentiles veriore Euangelico lumine casti, *Terræ* impenderint, ab eaque emolumentum, dum *Suem* prægnantem ipsi immolarent; sperauerint, & ideo *Magna matris* & *Bona Deæ* titulo ipsam insigniuerint, *Cornelius Labeo* apud *Macrobius*, Saturnal. lib. 1. cap. 12. nos docet, cuius verba, cum hoc meum egregiè illustrent argumentum, huc adferre necesse duxi. *Affirmant quidam*, inquit *Macrobius*, quod *Cornelius Labeo* consentit, hanc *Maiam*, cui mense *Mai*o res diuina celebratur, terram esse: hoc adeptam nomen, à magnitudine: sicut & mater *Magna* in sacris vocatur, assertionemque extimationis suæ etiam hinc colligunt, quod *Sus* prægnans ei mactatur, quæ hostia est propria terræ. Et *Mercurium* ideò illi in sacris adiungi dicunt: quia vox nascenti homini terra cõtractu datur. Scimus autem *Mercurium* vocis & sermonis potentem. *Autor* est *Cornelius Labeo*, huc *Maiæ* id est terræ, *Ædem* *Calendis Maijs* dedicatam sub nomine *Bona Deæ*, & eandem esse *Bonam deam* & terram, ex ipsorum occultiore sacrorum doceri posse confirmat. Hanc eandem etiam *Bonam*, *Fatumam* q. *Opem* q. *Factam*, Pontificum libris indigiari. *Bonam* quod omnium nobis ad victum bonorum causa est, *Fatumam*, quod omnium vsui animantiu fauet: *Opem*, quod ipsius auxilio vita conseruet: *Fatumam* à *fando*, quod (vt supra diximus) infantes partu edunt, prius vocem edunt, quam attigerint terram. *Suus* qui die aut hanc *Deam* potest habere. *Junoni* scilicet regale sceptrum in sinistra manu ei additum. Eandem alij *proserpinam* credunt; porci quæ et rem diuinam fieri: quia *segetem*, quam *Ceres* mortalibus tribuit, porca depasta est.

Næ isti *Æneadem* *Soboli luno* seu *Telluræ*, pro mactata sibi *alba* siue cum triginta filijs, vberissimum fructuum omnium & vinorum maximè cornucopiæ in *Latio* vniuerso, *Albano* tamen præcipue agro, hætenus rependit: Sunt enim duo hodieque loca, *Albanum* nunc dictum, opidum, & *Castellum Gandulphi* appellatum, vinorum suauitate celeberrima, *Dionysius Halicarn.* lib. 1. his verbis depinxit. *Subiecti autem urbi* (*Albe* longè nimirum) *sunt campi, amenitate admirandi, quibus generis frugum fertilissimi, nec cedentes vlli agro Italie, præcipue bonitate vini suauissimi, & pulchri coloris, quod Albanum vocant: præcellens omnibus reliquis, si Falernum excipias.* Atqui, cum *Falernum* nunc nobis forsitan desit, primas *Albano* & *Castelli Gandulphi* iure, dederis, quæ ipsum etiam superiorum nectar si vltum esset, superate mihi videntur. *Martialis* sanè, *Iulæo* in monte, hoc est *Albano*, in quo *Iulius Ascanius* *Albam* suam extruxerat, vinum *Albanum* his versibus celebratur.

Hoc de *Cesareis* mitis *vindemia* cellis
Mist, *Iulæo*, quæ sibi monte placet
Et *Horatius* Carm. lib. 3. ode 11. quæ *Phyllidem*, inuitat ad epulas die *Natali Maccenatis*,

Macrobij
locus de
Terra &
magna ma
tre.

Macrobij
locus de
Terra &
magna ma
tre.

Macrobij
locus de
Terra &
magna ma
tre.

Macrobij
locus de
Terra &
magna ma
tre.

Est mihi nonum superantis annum

Plenus *Albani* cadus

Dioscorides etiam lib. 5. cap. 10. primas *Falerno*, secundas *Albano* dat, inter *Italica* vina. Et *Plinius* lib. 14. cap. 4. *Diuum Augustum*, *Setinum* cunctis prætulisse, secundam nobilitatem *Falerno* tribuisse, in tertiam palmam *Albana* venisse, vrbi vicina, prædulcia, ac rara in austero. Sed prioribus hoc tempore vel abrogatis, vel dignitate & excellentiâ illâ orbatis, sola *Albanis*, vicinisq. locis, natis gloria remansit. Hæc enim tam ad conseruandam, quam recuperandam valetudinem, reliquis omnibus præferuntur. *Castelli* præsertim *Gandulphi* vina nectareâ suauitate, laudabili substantiâ, gratissimo odore, nec tenuia planè, & exilia, nec fortia admodum, aut cerebrum obnubilantia, tam Principum hoc tempore omnium mensas ornant, quam lapsum fractumq. conualescentium appetitum prouocant, instaurant, confirmant.

Et sanè *Albano* primas deberi, vel hoc me mouet: quod cum ante complures iam annos *Neapoli* ab illustrib. *Bartholomæo Pofinski*, veteri mihi familiaritate iuncto, *Serenis*, tum *Polonia Regis* ibidem *Internuncio*, prandio exceperer splendido & opiparo: summa ibi gloria *Albano* vino, conuiuarum omnium, calculo delata fuerit. Hoc siquidem ipse, honoris ac saporis iucundioris gratiâ *Neapolin Romæ* quotannis itinere maritimo conuehi iubebat, quod eius quoque temporis *Prorex Dux Beneuentanus*, libentius quam vllum *Campania* felicitis vinum, ex memorati *Internunci* instructissima vinaria cella petitum quotidie mensæ adhibebat.

Hoc enim nõ *Asperinum* modò, lógis post se parafrangis relinquebat, illi vino simillimè *Aricino* nepe, quod nõ sine ratione & ioco *Regis Pyrrhi* olim legatus *Romam* proficiscens, ob acrimoniâ & austeritatè meritò tam altâ cruce vltimorum, in quibus pendunt vitæ, proceritatè intuens) dignum dicebat, sed principibus illis quoque vinis inuidiâ conciliabat: *Græco* nimirum *Campano Vesunij* filio, *Magnaguerro* *Campano*, *Beluedero* *Calabro*, *Syracuso* *Siculo*, *Vernaccio* acriù dentium, & minacis vultus, *Calaboru* illi fortissimo, *Chiarello* auricomò, & *Centule* huius forori, *Græco Pausilypo*, *Lachrimæ* *Coccineæ*, purpuræ illi potabili & roseo nectari. Ne quid de minorum gentium, & doctorum pedissequis memorem, *Græco Ischia* domino, *Sealea* *Chiarelli* simia, *Massicanis*, *Vernocis* & *Surrentinis* de quibus vltimis hæc *Plinius* lib. 14. cap. 6. *Surrentina* conualescentibus maximè probata propter tenuitatem salubritatemq. *Tiberius* *Cæsar* dicebat consensisse *Medicos* vt nobilitatem *Surrentinorum* darent, alioquin esse generosum acetum. *C. Cæsar* qui successit illi, nobilem *Crappam*. Et demum de *Falagnina*, *Puteolorum* incolæ, quod vini genus tamen ad mirabilem *Albani* nostri suauitatem vtcunque accedere mihi videbatur. Vina profectò in eo conuiuio omnia erant præstantissima,

Sed *Latio* huic nostro tantum celsura *Lyæo*.

Atqui loca illa, circa quæ nunc *Castellum Gandulphi* situm est, non vinorum modò præstantia, sed duabus alijs prerogatiuis celeberrima mihi semper vilâ fuerunt. Quarum primam dicam, quod *Romani Imperatores*, periti voluptatum *Architecti*, *Nero* præsertim ac *Domitianus*, his cœu secessu amenissimo vsi fuerint. *Dio* & *Suetonius* in vita huius referunt, ante imperium dum patrem meueret,

H h h 3 hic

Albanum
sapore Nea
pollitanis
Siculis, &
Calabris,
præstat vi
nis.

Bartholo
maus Po
finski Re
gis Polò
nia Neapo
li Internu
ncius.

Catalogus
præcipuo
rum in Re
gno Neap
oli, vinor
um.

Puteolanu
vinum Fa
lagnina,
vulgò di
ctum, Al
banum ali
quo modo
amulatur.

Castelli
Gandulphi
encomi.

Hic locus
ab Impera-
toribus
olim Ro-
manis atri-
marus.

Nunc quo-
que ab VR-
BANO
VIII. Pont.
Max. ama-
tus.

Magnam
sui pre-
sentem inue-
nit.

Laurentius
Card. Ma-
gister
eminentis-
simarum
ingenij do-
ctum Prin-
ceps.

Melle Bar-
berino au-
thoris sty-
lus dulco-
rarius, &
simul Cas-
telli Gan-
dulphini
laudes de-
cantanda.

Ex diuino
Maffei Car-
dinalis Bar-
berini poe-
mate se-
quentia
sunt de-
sumpra.

hic eum sapius egisse. Post adeptum verò Imperium hunc locum sub *Albano monte*, ceu arcem, sibi delegisse, *Quinquatria* hic magnificè celebrasse, *Minerva* hic collegium instituisse, certamina poetarum, oratorum, & gladiatorum exhibuisse: venationes agitate: centenas, varij generis feras, saepe in hoc secessu *Albano* confecisse: & scenicos ludos libenter spectasse: Quare & *Amphitheatrum Coliseo* vulgò dicti, non parua quaedam ruina non ita pridem eo loci visebantur.

Alter, nec minor, *Castello* huic *Gandulphino* dignitas accessit, ex pratorio seu *Villa*, nò sumptuosissima quidem illa, sed amoenissima, quam ibi *Maffius*, *Cardinalis Barberinus*, iam pridem extruxit. Ad quam non raro ab *VRBE*, ut animum grauioribus, publici boni causa, studijs curijsq; distentum relaxaret, & in secessu illo *DEO* magis sibi que vniretur, recessit: iam verò *Summus Pontifex VRBANVS VIII.* Orbis felicitati natus, *Romane Urbis* & Dominus, & totius Christiani Imperij Fideique *Arbiter* datus, eandem amare pergit meritò, & nitidissimè instaurare.

Sed quem praestantiorum ego locorum eorundem, antiqua praesertim, *ALBAE* reliquiarum, Encomiasten, quam hunc ipsum *Principem* indagauero? Qui inter Poemata sua diuina, nouo ausu non adfecta & tentata modo, sed felici adeò conamine (quod ante ipsum *Latinorum* poetarum nemo est allecutus) ad *PINDARI* emulationem perfecta, ut viam quidem posteris strauerit, sed qui pari cum ipso passu eandem decurrat, reuertitur sit neminem: Inter poemata inquam haec (curantibus omni eruditione clariss. viris, Amicis meis, *Ioanne Baptista Lauro*, Sanctitati suae ab interiori cubiculo & *Ioanne Barlaio*, ut publici iuris fierent) elegantissimo carmine epico ad rusticandum secum in eadem *Villa* inuitat *Laurentium Magalottum*, tum vtriusque Signaturae Referendarium, nunc verò ob excellentissimas animi dotis, numero Purpuratorum Patrum adlectum: cui & ego religiosum me cultorem profiteor, quòd etiam mearum aliquas praelectiones publicas in *Athenaeo Romano*, cum non paucis alijs, quos iam *sacra Purpura* vestit, praesentia sua cohonestare voluerit. Ut igitur *Melle Barberino* acidiusculum & amarum hunc meum scribendi stylum leniam, adeoque quoddam condimentum efficiam; *Apis* instar, ex poemate illo cedro auroque dignissimo, paucula quaedam delibabo, & beneuolo Lectori ita saluam mouebo, ut libellum hunc ipsum, non minus, quam ego feci, audis percurret luminibus, animumq; hoc neectare pascat, gratias mihi, ob indicium, certissimò debiturus:

*Arua madent pluuijs, & amabilis aura calores
Iam fregit, celerisque fuga se proripit aetas,
Rura vocant, lassique patens in collibus ùer.
Hic recreor, spatiorque libens, ubi libera longis
Lumina metiri gaudent obtutibus agros:
Hic reficit corpus vires, senumque moratur,
Hic bona sollicitam tranquillam otia mentem,
Si *MAGALOTTE* placet, tristes deponere curas,
Quà lacus *Albannus* vitreis diffunditur undis.*

GANDVLPHI Pagus veteris pars altior *ALBAE*,

Excipiet

Excipiet lare nos modico, qui sufficit usus,
Quos paruo contenta petit Natura; superba
Non ades, animi requies facit vna beator;
Hanc tibi que cordi, solum parat ardua virens.
Huc igitur secede, bonis que detulit anni
Hora, parenque sua tellus dat sponte fruereis.

Atque vbi hic varias, quibus oculos simul spectator, & animum exhilarare posset, enumerasset delicias rurales; ex alto veluti prospectu vicinarum diuitias vinearum camporumque, & circumiacentia, veteribus Historicis decantatissima loca, ostendit, & oculis quodammodo spectanda repraesentat:

*Mox gradiens vario qua tramite diuidit hortus
Areolas, mistoque olerum florumque colora
Pingit humus, nemoris gratas ascende per umbras,
Est tibi montis Apex, capiet te mira voluptas:
Si circumspicias, aspectu videris vno
Oppida, camporum tractus, silvasque comantes,
Pasua, clementes colles, vinea, lacumque,
Et maria, & montes, angustaque mœnia ROMÆ.
Nunc age, solertes protende per omnia visus.
En propè subiectis vites in collibus vnam
Obijciunt oculis, ostro que certat, & auro
Et latices fundit, referunt qui vna Falerni
Ostentat Pomona suos ex arbore factus,
Queque fluant musto promit sua prela *Lyceus*
Aspice planitiem, gregibus que gramina passim
Exhibet, & late campos quos prebet arandos,
Vt largà Tyberis discescant horrea messe,
Que populum reserata beant sub PRINCIPE PAVLO.
Hinc etiam diffusa procul maris aquora cernas,
Queque ferunt celeres albertia carbasa puppes,
Longius a surgunt alta fastigia rupis,
Quam Circe tenuit: pelagi se prodit ab undis
Pontia, nunc dumis horrens & inhospita; quondam
Christiadum exilijs celebris, cum dira premebat
Semities CHRISTI cultum, vicinus in auras
Prominet Albanus vertex, ubi ceca *Quiritum*
Est atas operata Iouis Latialis ad aram.
Ardua Soractis ceruix, ut in aëra feretur
Apparent Cimini montes, colleque Sabini
Et iuga Samnitum summas equantia nubes.*

Cumque gratissimas frondosarum arborum umbras, & siluarum comoda, descripsisset, pergit porrò ligata strictaque oratione illa enarrare, quæ amplo diffusoque sermone *Liuius*, *Dionysius*, alijque Historiographi de *Albanorum* principijs, gestis, & successibus pertexunt; quæ quoties lego, denuò relego, im-

men-

Locorum
circa Al-
bam lon-
gam amœ-
nitas & fe-
cunditas.

menfamque inde alacritatem haurio, quam nec Lectori inuidebo, cum hoc præsertim Poëma non omnium manibus teratur

Horundem ex antiquis historijs descriptio.

Nemus hac petitur, speculamque, Diana
 Hoc lacus nomen fecit, quæ pura liquentis
 Lympha vitri speciem referens firmatur in orbem.
 Abditus hic inter sylvas est creditus ævum
 Hippolytus duxisse, nono de nomine dictus
 Virbius, auxilio Triuia reuocatus ad aras
 Ethereas: arcebat equos hinc vana vetustas
 Quondam pauidis abreptus equis per devia læta
 Sit datus Hippolytus. Valeant infomina Pindi
 Vt veterum que vera virum incundæ cursant
 Mentibus apta facem, rebus præferre gerendis
 Hinc oriens primùm Romana potentia fluxit,
 Post varios casus, dubijque pericula Martis
 His Pater Aeneas profugus confedit in oris,
 Quem tandem rapiens absorbit unda Numici.
 Filii Ascansius constructis manibus Alba
 Dat Regum seriem, quorum de sanguine felix
 Romulus auspicijs æternam condidit urbem.
 Linquimus Ageria lucum, quo prouida virtus
 Aucta Numa, populumque rudem, belloque ferocem
 Formauit studio pacis. Non funere fratrum
 Territus hic ternos prostravit Horatius hostes
 Immodicis Albanus aqua lacus antibus olim
 Extulerat, nullis manantibus æbere nimbis
 Si ripis emissa, maris non influit æquor
 Unda lacus, Delphis inquit consultus Apollo
 Romani capient obsefos milite Keios
 Permeat hinc subiens cæsi per viscera montis
 Iugis aqua riuus. Species ambesa Theatri
 Stirpibus imatis squallet, quatæ hostibus Alba
 Ludibrium iacuit, densis en obsita dumis
 Regia, quam posuit Romani Flauius heres
 Tertius imperij, fastu qui turgidus egit
 Hic annos epulas inter, mimosque loquaces
 Delicij fractus. Lactet nunc stemmata gentis
 Ignotos extrema dies insignibus aquat
 Ingentem subitus syluam cum corripit ænis
 Confundunt Cineres quercus, humilesque myricæ
 Mitte superuacuum cultum, cui si que solutus
 Eripe te rerum strepitum. Sibi vinere dulce est
 Vnde DEO, tibi sic riuus, te sola sequentur
 Post cinerem benefacta, rapit reliqua omnia lætum.

mirro I
-IA
-dol
-som
-ad
-ant

non

O in

O insigne & DEO, & tanto Principe dignum epiphonema: *Vnde DEO, tibi sic riuus* præter hoc enim omnia momentaneus quidam fumus sunt: & inanis umbra rerum.

Ad Campos autem illos sub *Alba longa*, Cereris, Pomonæ & Bacchi diuitijs ac delicijs affluentes, opidum illud maximè spectat etiam, quod nunc *Albanum* appellamus, non procul ab *Aricia* veteribus nominatissima, & 13. circiter millia passum à *Roma* distans: quod non nostri modò æui homines (vt *Cluuerius* obseruauit) sed iam inde CCCC. circiter annis post natum IESVM, *Eutropius*, tum *Seruius*, & alij idem esse opidum, quod *Alcanius* relicto *Launio* olim extruxisse dicitur, & *Albam longam* nominauit, existimarunt. Hodie etiam, inquit *Cluuerius*, ipsi *Albani opidi incole* adeo persuasam habent, opidum suum esse *veterrimam illam ALBAM longam*, cui etiam super portam, que *Romam versus* emittit, lapidem imponi curauerint, cui *Sus illa cum 30. porcellis incisa*. Verùm *prisci illi mortales*, & *nostri huius seculi homines*, præcipuum opinionis sue argumentum, ex his *Liuij* sumpsisse videntur verbis; *Vrbem sub Albano monte condidit. At vnus hoc tradit Liuius, reliqui omnes in monte conditam affirmant.* Hæc *Cluuerius*, qui nescio an picturâ portus, quam sculpturâ porcellos illos 30. expressos, & portæ impositos dicere debuit. Cæterum suam pluribus fulcire, mihi videtur & rationibus, & authorum testimonijs, opinionem.

ALBANVM nunc dictum opidi & nunc & olim ab aliquibus creditum fuisse id quod ALBA LONGA dicebatur.

Cluuerius hoc in sua Italia antiqua incuenter cõfutat.

Dionysius certè *Halicar*. lib. 1. *Albam longam* extructam esse testatur iuxta montem, & lacum Albanos, ita vt medium inter vtrumque obtineret spatium; ac veluti muri vterque urbem tuerentur, ne facile caperetur. *Nam mons admodum altus est*, inquit *Dionysius*, & *lacus profundus ac magnus*. Quare ex his verbis situs *Alba longæ*, non potest esse nisi omnibus notissimus, quæ dici potuit à *Liuij* sub monte fuisse adificata, quod reuera ab his tumultis, siue montis dorso, in quo erat *Alba*, adhuc montis iugum altius ascendat: & tamen rursus in monte eadem dici potuit fuisse collocata, si ad circumiacentes, & dorso hoc longè humiliores amantissimos campos respicere quis velit. Cum verò hodierni *Albani opidi*, quod ad *Riam Appiam* est positum, non sit hic situs, quia *Alba* olim ad orientalem lacus ripam supra prædictum *Albanum* opidum collocata erat; iam quilibet facile cognoscer, hic vbi *Albanum* nunc est, ibi *Albanum* olim veterem, minimè fuisse.

Argumenta Cluuerij.

Probat item *Cluuerius* inulentis *Ciceronis* aliorumque fide dignissimorum testimonijs, vbi nunc *Albanum* est, ibi quondam *CN. POMPEII VILLAM*, *ALBANVM* (nempe rus, seu prædium) *POMPEII* dictam, iterisse: & supra hanc *POMPEII* villam versus lacum, & *Alba longæ* vestigia siue templa, *P. CLODII* villam & ipsam dictam *ALBANVM*; quæ omnia clariùs ex oratione *Ciceronis* pro *Milone* habita elucescunt. Quod si quis existimet rudera illa, quæ circa recens hoc *Albanum* opidum reperiuntur, *Alba veteris* reliquias esse, nã ille egregiè decipitur: Cum *Alba longa* *Tullo Hostilio* regnante, eodem *Dionysio* auctore, solo & quata fuerit, cum 10. post adificationem annos, XIII. demptis, stetit, & triginta opidorum *Latinorum* mater fuisset, templis tantum Deum ex ea ruina seruat. Idem hoc *Strabo* lib. 5. affirmat, qui addit,

Vbi nunc Albanum est ibi olim CN. Pomp. Villam fuit se.

post

us 3